

vero ad secundum, deinde ad tertium, deinde ad quartum. Sic ergo ipsum mutabimus de gradu quarto frigiditatis & siccitatis, ad gradum eundem frigiditatis & humiditatis; Deinde vero ad gradum eundem caliditatis & humiditatis, & etiam caliditatis & siccitatis. Et sic ipsum deduximus ordinare. Afferamus igitur istam figuram pro exemplo: Dicamus ergo, quod litera e. principium primi gradus caliditatis & siccitatis. Et lit. f. est finis primi gradus caliditatis & humiditatis, & initium secundi. Et litera g. est finis secundi & initium tertii. Et litera h. finis tertii, & initium quarti. Et litera i. finis quarti gradus caliditatis & humiditatis, & similiter finis quarti gradus frigiditatis & humiditatis. Et litera k. est principium quartus gradus frigiditatis & humiditatis, & finis tertii gradus. Et litera l. est principium tertii gradus frigiditatis & humiditatis, & finis secundi. Litera vero m. est principium secundi, & finis primi. Et litera n. est principium primi gradus frigiditatis & humiditatis, & similiter principium primi gradus frigiditatis & siccitatis. Et litera o. est finis primi, & principium secundi. Et litera p. est finis secundi, & principium tertii. Et litera q. est finis gradus quarti frigiditatis & siccitatis, & etiam finis quarti gradus caliditatis & siccitatis.

Si ergo voluerimus aliquid mutare à litera q. quæ est finis quarti gradus caliditatis & siccitatis, ad gradum quartum frigiditatis & humiditatis, quæ est litera i. mutabimus ipsum primo ad literam, quæ est finis tertii gradus eiusdem, & principium scilicet b. quarti, & postea ad literam, quæ est finis secundi, & principium tertii scilicet c. b. Et postea ad literam, quæ est finis primi gradus, & principium secundi scilicet e. & postea ad literam, quæ est principium primi gradus caliditatis & siccitatis, & etiam principium primi gradus caliditatis & humiditatis. Deinde vero ad literam, quæ est principium secundi gradus, & finis primi. Deinde ad literam, quæ est finis secundi, & principium tertii. Deinde ad literam, quæ est finis gradus quarti caliditatis & humiditatis. Postmodum vero reducemus ipsum ad gradum tertium caliditatis & humiditatis, deinde ad secundum, deinde ad primum. Deinde ad literam, quæ est gradus æqualitatis in caliditate & humiditate, deinde ad literam, quæ est primi gradus variamenti versus frigiditatem, deinde ad secundum, deinde ad tertium, deinde ad quartum. Iam ergo habemus ipsum mutatum à gr. quarto caliditatis & siccitatis, ad gradum quartum frigiditatis & humiditatis. Quod si iterum voluerimus permutare ad gradum quartum frigiditatis & siccitatis, reducamus ipsum in primum à gr. quarto frigiditatis & humiditatis ad literam, quæ est finis tertii gradus, & principium quarti. Deinde ad literam, quæ est finis secundi & principium